



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Clausula duodecima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

non potest, nam propterea cum secunda Bulla potest iterum eodem anno, quia id de novo concessit Pontifex, licet non tertio cum tertia.

6. Inquires secundò an, si sic applicet confessorius, si morieris, concedo tibi, seu applico hanc indulgentiam, si non morieris non applico. An inquam, si Pœnitens convalescat, redeunte deinde periculo alterius infirmitatis, vel eadem recuperante, possit lucrari dictam indulgentiam ex eo, quia Privilegium non habuit effectum in illa prædicta priore conditionata applicatione.

Respondet posse purgat *Dian. p. 1. r. 1. ref. 106.* quem sequutus est *Galleg. claus. 9. disp. 107.* Innuitur autem uterque in quodam testimonio Commissarii, quod super hac re se habere, dicit. Sed negat *Trullen. de bull. l. 1. §. 7. c. 2. d. 19. n. 8.* cum aliis, & merito. Nam cum hanc Indulgentiæ suspensionem non concedat Pontifex, non est audacter pronunciandum, ea te uti, posse. Nec testimonium illud commissarii obstat, nam tanta commissarii potestas nullibi legitur, ut in *Stat. Bardi p. 2. tract. 4. c. 5. §. 4. num. 27.*

7. Inquires tertio, Si confessorius accedens ad proxime moriturum, qui bullam sumpsit, invenit illum sensibus destitutum, itaut confiteri nequeat, potestne ipsi confessorius, seu Sacerdos applicare indulgentiam hanc, cum tunc non prosit concessio Pontificis dicta num. 4. quia jam est præsens confessorius.

Respondet. In nostra, & aliorum sententia, quos adducit *Diana l. c. ref. 108.* poterit tunc Sacerdos absolvere hunc sub conditione illa, quam explicavimus in *methodo Confessionis l. 1. c. 10. a. n. 4.* & deinde indulgentiam poterit applicare modo dicto. In sententia iterum eorum, qui dicunt, hanc, qui non petit confessionem, non debere absolvi; poterit etiam ei indulgentia applicari à dicto præsentis Sacerdote, saltem ex præsumpta Pontificis voluntate, ut in simili esse probabile, diximus §. *præced. n. 2. c. 4.* Et quia fortasse erit contritus, seu alias in statu gratiæ, fructum indulgentiæ lucrari poterit. Ita *Acosta, & Rodriq. cum Diana l. c.*

8. Inquires quarto, occasione illius, quod modo dictum est n. 3. (sibi indulgentiam applicet, seu acquirere intendat, &c.) inquires, inquam, an ut indulgentia quælibet, adeoque hæc ex Bulla Cruciatæ acquiratur, necessarium sit, ut illam quis intendat acquirere, an satis sit, ut faciat opus iunctum à Pontifice, cum circumstantiis ab eodem requisitis licet non intendat, imò nec sciat, tali operi esse annexam indulgentiam, loquimur autem, ut ex se patet, quando concedens indulgentiam scientiam illam, vel intentionem, vel simile quid non requirit, sed ab illa præscindit.

9. Respondet. Duplex est sententia. *Rodriq. in Bull. §. 8. n. 9.* & *Trullench. in bull. l. 1. §. 6. dub. 2. n. 5.* aiunt nisi quis sciat, intendatque, sane non lucrari indulgentiam. Ratio hujus sententiæ esse potest, quia indulgentia est per modum privilegii, quod ignorantia non acquiritur, sed requiritur scientia, & voluntaria privilegii acceptatio.

10. At *Portella, in add. ad dub. Reg. V. indulgentia*, dicens, se hanc sententiam accepisse à Ludovico Molina, & *Josephus de Augustino*, aiunt, etiam si quis nesciat, sed requisita tamen ad indulgentiam ponat, illam acquirere. Ratio est (inquit de Augustino) quia, vel talis scientia, ut vult *Joseph de August. in brevi notitia rit. de indulgentia n. ult.* & intentio non est necessaria, siquidem non ponitur in tenore concessionis, ut supponimus, vel si est necessaria, semper adest implicita intentio, qua quilibet homo, dum bene operatur, vult acquirere totum fructum, quem potest ex illo bono opere, & ex ejus annexis.

11. Confirmat primò *Portella* ex exemplo satisfactionis ex opere operantis: licet enim quis nesciat, nec explicite intendat per suum opus bonum v. g. per suum jejunium satisfieri peccatis, quas debet ex suis peccatis, tamen accipit satisfactionem annexam tali operi. Ergo

eodem modo, elevato tali opere ad imperium rationis satisfactionis ex opere operato, quod sit in iudicium auctoritate Pontificis, qui habet ad id potestatem potestatis, quis absque scientia, & consequenter absque intentione obtinere totum ejus fructum.

12. Confirmat secundò *Delugo de penit. d. 27. num. 8.* quia fructus suffragii mihi ab alio applicati, v. g. jejunii fructus, quem mihi applicat meus amicus pro me peccatis, imò, & fructus Sacrificii Missæ, quem mihi se habet est quidem ex opere operato) applicat aliquis Sacerdos pro me Missas celebrans, mihi applicatur, tamen nihil ego sciam vel intendam. Ergo cur non idem dicendum, si mihi indulgentiæ fructum ipse Pontifex applicet, me nihil sciente, vel intendente? Cur enim Christi satisfactio applicata per Sacrificium Missæ, proinde mihi nihil scienti, & prodelle non poterit eadem satisfactio per potestatem Pontificis applicata.

13. Confirmo ego tertio, quia de facto Pontifex, quando solet concedere, & in hac nostra bulla ut, videmus n. 4. concedit moribundo à se scriptis destinato indulgentiam Plenariam, & tamen tunc ille nihil advertit, nihilque potest intendere.

14. Ad rationem *Rodriquez, & Trullench. respondet Delugo, l. c.* Indulgentiam non esse privilegium, quod debeat executioni mandari per ipsum privilegium, sed potius esse solutionem pro illo, quæ potest fieri per alium, nihil sciente debitore, ut si quis amicus pro me nihil sciente, solvat centum aureos, quos ego meo creditori debeo, satisfactus erit creditor, nec ego aliquid debebo.

Cujus rei ulterior ratio est, quia ad has, vel similes solutiones semper adest intentio implicita dicta n. 10. quæ satis in hujusmodi solutionibus est.

15. Hanc secundam sententiam probabilissimam puto, tamen usus fidelium merito semper curat, intendere expresse indulgentias sibi acquirere: tum quia intuitus absque datione est, tum quia non est certum, licet sit verosimile, ut loquitur *Delugo citatus*, Pontificem ita se habere in omnibus indulgentiis concessendis, sicuti se habet in casibus modo n. 3. dictis. Et cum requisita ad indulgentias acquirendas, sunt, ut plurimum, varia, & sub variis conditionibus ponenda, ut hæc apponantur, debent fieri, & consequenter requiruntur semper adit acquiritur intentio.

16. Illud (ne erres) adverte. Nam indulgentiam lucrari volens quis pro defuncto, vel sua opera applicat pro ejusdem Defuncti satisfactione, debet habere commissario intentionem determinatam lucrandi, & latius sciendi pro eo. Ratio est, quia adest quidem illa intentio implicita lucrandi sibi per suum bonum opus, quantum potest, non autem adest lucrandi pro alio, & ut docet item *Delugo, ibidem loc. cit. num. 74. c. disputat. num. 28.*

CLAVSVLA. XII.

Item summentibus bullam conceditur, vota opuscula, alia marina, Castitatis, & religionis exceptis, in aliquo subsidium hujus expeditionis per eundem commissarium commutari.

CAPVT XIII.

De septimo Bullæ Privilegio, hoc est, de commutatione Votorum

Non loquimur hic, an potestatem habeat commissarius Cruciatæ commutandi vota fidelium, sed de ea quam habet commissarius electus à penitente lucrante bullam. De Commissarii enim potestate non est hic agendi locus.